








L. M.

[illegible]

ANTIQVITATUM BOREALIUM

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ.

SPECIMEN PRIMUM

QVOD

LOCO PROGRAMMATIS

AD

AUDIENDUM D. X. ET SEQQ. AUGUSTI

IN

SCHOLA LATINA HAFNIENSI

EXAMEN PUBLICUM

OMNES

REI SCHOLASTICÆ AMICOS FAUTORES

ET PATRONOS

QVA PAR EST OBSERVANTIA INVITATURUS

SCRIPSIT

SCULO THEODORI THORLACIUS,

SCHOLÆ METROPOLITANÆ RECTOR.

HAFNIÆ 1778.

TYPIS SANDERO - SCHRÖDERIANIS.

ANTIQVITATUM BOREALIUM.

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ.

SPECIMEN PRIMUM.

Cap. I.

De

Veterum, maxime Borealium Hiſtoria & Poeſi, earumqve uſu & ætatibus.

§. I.

Uſum hiſtoriæ pluribus & operoſè monſtrare haud difficile, ſed minus neceſſarium videtur, utpote qvem omnium fere gentium temporumqve conſenſus, qvin & antiqviſſima, humaniorumqvè rudis agnoverit barbaries.

Qvemadmodum enim memoria, omnis eruditionis promtuarium dici meretur, ita non erraverit, qvi hiſtoriam memoriæ filiam, reliqvarum, qvæ genus humanum ornant, inſtruunt, oblectant, artium ma-

trem & nutricem dixerit. Si rerum præteritarum cognitionem ſuſtuleris, tanta diſciplinarum jejunitas hanc inopiam ſeqvetur, ut exiſtimem, qvæ ſciamus, fore pauciſſima. Eloqventiam enim, poëſin, medendi & reliqvas artes, qvæ auxilio hiſtoriæ non commodius, qvam aves alis, carebunt, ut prætercam, ipſius qvidem Religionis bona pars eſt hiſtorica, & jurisprudentia, rectrix illa populorum, humanæ ſocietatis gubernatrix, & ſecuritatis publicæ ſeqveſtra, tota ferè vacillat, & incertis paſſibus vagatur, niſi priorum temporum ritus & inſtituta, antiqvasqve leges, qvibus originem debent recentiores, perſpectas habuerit. Hinc regnatricis domus ortus, regnorum origines, termini, jura; hinc fata populorum diſcuntur. Nec novus hujus artis amor & prætium.

Cultiſſima qvæqve olim natio, cæterisqve auctoritate & potentia celebrior, in hiſtoriæ ſtudium adeo incubuit, ut, cum facere ſcribenda, eximium & laudabile, aliorum res præclare geſtas memoriæ mandare ſemper honorificum fuerit. Unde nobis qvæſo

qvæſo tanta & tanti Græcorum & Romanorum notitia, niſi optima ingenia ſua intereſſe putaſſent aſſerere decus patriæ, ejusqve ad poſteros usqve & in omne ævum perennaturæ nobilitati conſulere.

§. 2.

Non mirum igitur ſi hiſtoria mortalibus adeo neceſſaria, artium humanarum, qvas liberales vocant, antiqviſſima qvoqve ſit. Cujus qvidem rei argumenta vel ipſa natura ſuppeditat. Ea namqve eſt animi noſtri indoles, ut, cum pluribus qvibus inſtructus eſt, facultatibus ad rerum contemplationem utatur; harum ſingulæ ſuas partes habeant & exſeqvantur. Memoria nempe acceptas primum a ſenſibus externis rerum ſpecies recondit, & ex ſua qvaſi penu depromtas, vel invicem conferendas ingenio, vel judicio & intellectui deinceps ulterius excutiendas tradit.

Cæteris itaqve animæ facultatibus ordine & officio qvo prior eſt memoria, eo hiſtoria qvoqve reliqvis, qvas ſolertia homi-

num adinvenit, artibus & ſcientiis anterior, imo factis & memoriæ humanæ, qvæ eventus & facta repræſentat, coæva dici debet; atqve adeo cum ipſo tempore teſtis illa temporum cœperit, neceſſe eſt.

§. 3.

Mater hiſtoriæ memoria ſatis qvidem fida fuit; qvamdiu & novitate rerum, & hominum longævitate adjuta ſibi confidere poterat. Ut vero vetuſtate factorum conſeneſcere; cum decurſu & viciſſitudine temporum, per ora majorum ad poſteros transmiſſa corrumpi & alterari; gliſcente porro indies rerum memorabilium numero, ut ſuis terminis omnia mortalium clauduntur, obrui cœpit, qvominus intercideret remotiorum temporum notitia, & poëſeos & literarum indiguit auxilio.

§. 4.

Qvod vero hiſtoria poëſin anteceſſerit, vel inde perſpicitur, qvod hæc illius conſervandæ cauſa inventa & hominibus data videatur. Nec canere vates potuiſſent, niſi

rerum

rerum præteritarum cognitione, & exemplorum ex hiſtoria petitorum copia, ut oratori, teſte Qvinctiliano, ita poetæ qvam maxime neceſſaria inſtructi. Antiqviſſima qvoqve, qvæ ſuperſunt carmina, vel carminum fragmenta, argumenti pleraqve ſunt hiſtorici. Qvicqvid enim priſci illi gentium vates de ſacrorum myſteriis, de origine deorum, rerumqve primordiis & naturà commenti ſunt, nihil aliud eſſe videtur, qvam male conſuti centones & laciniæ narrationum, in qvibus geſta & memoriam hominum, ſuo ævo celebrium, tum inſana minorum admiratio in ſuperſtitionem verſa, cum perfida poſteris imponendi cupido, partim corruptis & fabuloſis hiſtoriæ vetuſtiſſimæ, ac a primis inde hominum progenitoribus propagatæ reliqviis commiſcuit; partim, nulla temporum habita ratione, adeo confudit, ut, qvæ plurium fuere, uni tribuantur; qvod *Jovis*, *Herculis*, & apud majores noſtros *Odini*, *Thori*, *Starcateri* & aliorum plurima exempla loqvuntur.

§. 5.

Habet hoc poësis peculiare, ut cum paſcat animos, ingenia acuat, memoriæ qvoqve ſuccurrat, oblivione hominum & rerum multitudine fatiſcenti. Nihil enim vel facilius diſcitur, vel hæret diutius qvam carmina; ſive illud occulto naturæ beneficio, imbecillitati memoriæ hoc modo ſubvenientis, ſive numerorum ſua ſerie decurrentium, & memoriam ſponte ducentium ſimilitudini tribuendum ſit. Calluerunt hanc artem antiqviſſimi gentium doctores. Carminibus *Zoroaſtes*, *Linus*, *Orpheus* & alii ſua tempora erudiverunt, & vetuſtiſſimis qvoqve temporibus qvalecunqve ligati ſermonis genus fuiſſe, qvod literis nondum inventis vel cognitis, librorum ipſis vicem præſtitit, ſatis conſtat (1). Qvo nomine laudari meretur vetus *Druidum* diſciplina, qvi magnum verſuum numerum diſcipulos ediſcere jubebant, ne literis confiſi minus memoriæ ſtuderent (2). Priſcos igitur gentis Celticæ magiſtros ſecutus pueros monet poeta *Maſſilienſis*:

- - *dent*

- - - dent primos verſibus annos,
Mæoniumqve bibant felici pectore
fontem.

(1) vid. Cluverii antiqvit. German. Libr. I. cap. 24.
(2) vid. Jul. Cæſar. Comment. de bell. Gall. Libr. 6. cap. 14.

§. 6.

Niſi igitur clara majorum facta, ceu todidem incitamenta virtutis, ab oblivionis injuria mature vindicaſſet veterum poëtarum induſtria, omnis fere priorum temporum, apud gentes litterarum expertes, memoria periiſſet juxta Horatianum iſtud:

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrimabiles
Urgentur, ignotiqve longa
Nocte, carent qvia vate ſacro.

Unde poeſis hiſtoria qvidem, cujus eſt conſervatrix junior, literis vero antiqvior habenda eſt. Ut vere *Lactantius* dixerit (1): "Poëtas multo antiqviores eſſe qvam hiſtoricos & oratores, & cætera genera ſcriptorum. „

Et alibi (2): "Poëtas multo priores fuiſſe qvam philoſophos, & ante natum ſapientiæ nomen, pro ſapientibus habitos." Heroicum illud poëſeos genus, qvo regum ducumqve res geſtæ & fortia facta celebrantur excoluiſſe priſcos *Germanorum Bardos* (3), idqve unum apud eos memoriæ & annalium genus fuiſſe refert *Tacitus* (4). Noti ſunt *Lucani* de *Bardis* verſus (5):

> *Vos qvoqve qvi fortes animas belloqve peremtas*
> *Laudibus, in longum vates dimittitis ævum:*
> *Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.*

(1) Libr. 7. cap. 22.

(2) Libr. 5. cap. 5.

(3) Qvamvis de vocis *Bardi* etymo nemini temerè litem movere velimus, ſterilis enim & infoelix plerumqve ſolet eſſe, qvæ ejusmodi rebus inſumitur opera, *Bardos* tamen nec a tarditate, qvæ græca eſt origo, nec a ſono, qvem canendo edebant, barrorum ſeu elephantum *barritui* non abſimili, qvod *Pontano* in hiſt. rer. Dan. pag. 23, placuit, dictos arbitror; ſed

ſed, vel, ut *Longobardi* a *barba*, gravitatis & prudentiæ ſenilis indice, qvam veterum qvorundam philoſophorum exemplo forte præ aliis aluerunt, vel a Bardo qvodam denominatos, qvi inter *Germanos* primus vel eximius poeta forſitan fuit. *Bardur* enim tritiſſimum viri nomen inter antiqvos Boreales, a qvibus Germani, vel a communi præceptore *Odino*, artem non modo poeticam, ſed & lingvam didiciſſe videntur; nihil enim antiqvius, & majoribus noſtris magis ſolenne, qvam heroum bello peremtorum laudes canere. Fateor qvidem dubiam mihi ſemper viſam vocis Longobardicæ originem, qvæ a *Bard*, barba deducitur. Hac enim ſignificatione vox illa in antiqva Borealium lingva, qvæ *Longobardis*, ſive *Cimbri*, ſive *Sveci*, ſive *Norvegi* fuerint, debuit eſſe vernacula, inſolens eſt, certe mihi nuspiam lecta. Nec iſtud nomen ſatis aptum videtur, qvo hæc gens ab aliis diſtingveretur, cum præter plurimas alias pleræqve *Europæ* nationes præſertim *Boreales*, barbam tunc temporis promitterent. Illis igitur magis aſſentior, qvi *Longobardos* dictos volunt a voce *Barde*, qvod bipennis bellicæ nomen erat. Secures enim, longis manubriis inſtructas, perantiqvum teli genus, & Borealibus

maximẽ usitatum fuisse, ex historia notissimum est. Hinc talis bipennis vetus regni *Norvegici* insigne, Hellebard etiam nunc vocatur, forte ab *Hel*, Morta, sic dicta, qvasi securis letifera sive bellica. Qvin etiam in carmine antiqvo *Hakonarmál*, qvod *Haconi Adalsteni* alumno Norvegiæ regi, qvi anno 963 obiit, cecinit *Eyvindus* poeta, vulgo *Skaldaspillir*, integra hæc vox & incorrupta occurrit: Vid. Sturlæs. Heimkringla Ed. nov. Hafn. pag. 162.

Lutu *Langbardar* ad lyda fiörvi. i. e.
Imminebant vitæ virorum longæ bipennes.

Freqventissimum scilicet erat ætati bellicosæ armorum nomina, non singulis tantum hominibus, ut *Geir*, *Hiör*, *Brandur*, *Hialmar*, *Skiöldur*, *Bryniar*, sed & integris populis imponere. Sicuti enim *Romani* olim *Qvirites*, teste *Ovidio* Fast. Libr. 2, fortè dicti, — Qvod hasta *Qviris* priscis est dicta *Sabinis*. Ita *Saxones* a gladiis brevioribus, olim *Sax*; *Germanos* a *Geir*, hasta, telum, qvasi *Geirmenn*, hastigeros, & *Longobardos* â securibus bellicis, qvarum usus ipsis peculiaris, nominatos existimo. Sed de *Bardorum* nomine hæc forte nimia.

(4) Vid.

(4) Vid. Libr. de moribus Germanorum.
(5) Pharſal. Libr. I.

§. 7.

Idem qvoqve heroicæ & hiſtoricæ poëſeos ſtudium apud Septentrionales olim, & â remotiſſimis inde temporibus, in uſu & honore fuiſſe, res eſt in monumentis borealibus teſtatiſſima. Hanc artem tanti fecêre majores, ut ejus originem divinam, uſumqve non in regum ſolum & principum conviviis, ſed deorum qvoqve & heroum vitâ functorum dapibus gratiſſimum exiſtimaverint. Unde veteres poëtæ carmina vocârunt *Odini Medonem* (1) cujus qvippe potu monoheroes in *Valhalla* (2), *Odini* convivæ, teſte *Edda* (3) maximè delectabantur.

Nec ſua veteribus Aganippe, *Fons Mimeris* dicta, nec ſuus Apollo defuit; *Bragium* enim poëtarum deum vocârunt (4), a cujus nomine *bragur*, carmen, metrum dicitur. Ipſum vero principem deorum *Odinum* ut religionis & omnium apud Septentrionales artium, ita poëſeos auctorem crediderunt

diderunt. Cujus rei, præter *Eddam*, testem habemus *Sturlæsonium* in *Heimskringla* (5), unde luculenta sane viri verba huc transscribere non pigebit: " *His alia accessit causa, " ea nempe oris facundia, ea vocis atqve " sermonis svavitas, ut qvæ loqvebatur, au- " dientibus sola viderentur vera: qvæ vero " loqvebatur omnia, metro erant composi- " ta, pro ut ea cantantur, qvæ jam carmi- " na vocamus. Ipse, ut & eum comitati " Templorum Præsides vocantur carminum " artifices. Illis enim, in terris boreali- " bus, suam ea ars debet originem.*"

(1) Sic poesis vocatur in carmine antiqvo vulgo *Höfudlausn Egills Skallagrimssonar*, qvod in ejusdem *Egilli* historia, nec non in qvibusdam *Eddæ Sæmundinæ exemplaribus exstat.* Impressa latinè habetur in O. *Wormii* Litterat. Run. Germanicam ejusdem dedit versionem Vir celeberr. D. *Denis* inter *Lieder Sineds der Barden* pag. 70.

(2) *Valhalla*, vatum carminibus celebris, & fortissimis olim viris mortis & laborum solatium, nomen habet a *Valur*, strages & *Haull*, aula, qvasi præliis cadentium domum vel sedem dixeris, hinc *Odinus* ipse *Valfader*, i. e. in armis strenuè occumbentium pater, Vid. *Eddæ*. Fab.

Fab. 18. Hinc *Valköstur*, cumulus cadaverum; hinc *Valkyriur*, qvasi cædendos eligentes, deæ *Odini* ministræ, qvæ ipso jubente, per aera, & maria vectæ, unde *Valfart* iter aereum, ad prælia pergebant, vivos morti destinabant, & exitum præliorum moderabantur; de his utraqve *Edda* passim. Hæ insignes qvoqve heroas in *Valhallam* invitabant, hasqve sibi ab *Odino* missas fortissimus olim rex *Daniæ Ragnar Lodbrok*, moriturus cecinit. Vid. Vormii *Littr. Run.* Append. Stroph 29. *A. Valur* qvoqve vox adhuc usu superstes *Valplads*, locus prælii, derivatur: *Haull* & aula ejusdem originis esse videntur, adjecta tantum adspiratione. Qvæ vocum Borealium cum Latinis affinitas non raro evidens est.

(3) Vid. Eddæ Fab. 35.

(4) Vid. Eddæ Fab. 24.

(5) Vid. Heimskringla Ynglingasaga. Cap 6.

§. 8.

Medio circiter, qvod æram Christianam præcessit, seculo [1] ex *Scythia Tanaï* fluvio ad orientem confini, in boreales has terras cum suis immigrasse creditur *Odinus*[2]. Hic belli pacisqve artium peritissimus, priscos horum locorum aborigines, non qvidem

dem viribus & fortitudine, ſed præſtigiis & calliditate inferiores, (³) adeo obſtupefecit, ut integrum Septentrionem opinione citius ſibi ſuisqve redderet obnoxium. Maximum qvidem novis hisce advenis negotium facesſiviſſe videtur gens Iötunorum (⁴), qvam tamen vel matrimoniorum affinitate ſibi conciliavit (⁵), vel vi dolisqve paulatim exterminavit tum ipſe cum ſociis *Odinus*, cum potita rerum *Odini* poſteritas. Cum igitur nova religio, novæ leges, mores & lingva cum novo imperio indigenis obtruderentur & invaleſcerent, obſolevêre priora & cum gente gentis memoria ſenſim periit. Id enim remis ventisqve petiiſſe videtur ſolertiſſimus fallendi artifex *Odinus*, ut omnem priorum temporum hiſtoriam penitus obliteraret, qvo ſe ſuosqve magis venerarentur poſteri (⁶).

(1) Vid. Chronologiam Sturlæſonii Heimskringlæ Ed. Hafn. 1777 præmiſſam.

(2) Vid. Sturleſonii Ynglingaſaga Cap. 2.

(3) Vid. eundem librum Cap. 5.

(4) *Iötu-*

(4) *Iötunorum* cum *Asæorum Thoro* conflictus varios narrat *Edda Snorronis*. Gentis id olim nomen fuisse, vel *Iötunheimur* i. e. terra Iötunorum, indicat. Eliminata vero *Asæorum* artibus & potentia, vel deleta hac gente, Iötuni *coepti* sunt appellari, qvicunqve vel ad priscos *Iötunos* genus referebant, vel gigantea membrorum mole & viribus iis similes erant. Sic *Starcatherum Iötun* appellat *Edda* Fab. 54. De horum vero & cæterorum, qvi Septentrionem tunc incoluêre, populorum *Odino* antiqviorum moribus, nominibus & sedibus si qvis plura desiderat, legat Viri de historia patria meritissimi Illustr. Gerh. Schönningii Historiam Regni Norvegici ed. Soræ 1771. Cap. 1.

(5) Sturlæs. Ynglingasaga cap. 5.

(6) Vid. Torfæi Seriem Regum Daniæ Libr. 2. cap. 4. & Schönningii Libr. citatum cap. 2. §. 2.

§. 9.

Hæc est ratio, cur antiqvissima Septentrionis, *Daniæ* scilicet *Norvegiæ* & *Sveciæ* historia *Odini* ætatem vix transscendat. Si enim pauca, eaqve nuda plerumqve nomina, vel in *Eddis*, vel alibi fortè obvia exceperis,

peris, reliqva omnia *Asæorum* has in terras adventu juniora reperiuntur [1]. Ut ad *Odini* tempora, nativitate Servatoris non longe superiora omnis ferè borealis historiæ initium referri soleat & possit [2].

(1) In historia regni Sveciæ Edit. Holm. 1769. Vid. Introduct. §. 14. Illustr. Lagerbring, vir acris judicii, & veritatis historicæ festivus amator, *Fiorniotum*, ejusqve ad *Gylfium* usqve posteros, qvorum libellus, *Fundenn Noregur*, meminit, *Odino* adeo antiqviores statuit, ut *Karium Fornioti* filium *Odino*, qvem huc migrasse anno ante Ch. N. 65. scribit, Libr. citato p. 1. cap. 2. §. 6., tribus ferè seculis anteriorem faciat. Illustris vero *Schönningius* in laud. hist. Nor. cap. 2. §. 15. *Halogium Fornioti* filium ejusqve fratres ad *Odini* tempora deprimit, & in tabula genealogica & chronologica, historiæ citatæ annexa, annum a. N. Ch. 72 prædicto *Kario Fornioti* filio assignat. Tantum hos inter duumviros dissensum cum nostrum non sit componere, hæc tantum notavimus, ut priorum Odino temporum eas esse tenebras pateret, qvæ vel summa & sagacissima historicorum industria discuti neqveant.

(2) Inter

(2) Inter Scriptores Rerum Danicarum Medii Ævi, qvos Hafniæ 1772 seq. edidit Vir ad decus & conservationem literaturæ borealis natus *Jacobus Langebech*, auctor fragmenti veteris Islandici, vid. Tom. 2. pag. 25. de Odino pag. 34. tradit seqventia: " Origines omnium histori-" arum in lingva Septentrionali earum, qvæ " veritatem seqvuntur, incipiunt, cum Turcæ " & Asiani Aqvilonem inhabitabant. Vere er-" go dicitur, lingvam cum iis in Septentrio-" nem venisse, qvam Norrænu vocamus, & " viguit ea lingva in *Saxonia*, *Dania* & *Sve-" cia*, *Norvegia*, & parte aliqva *Angliæ*. Prin-" ceps hujus populi erat *Odinus Thori* filius, " qvi multos filios habuit. Ad *Odinum* multi " genealogiam suam ducunt. " — Iisdem fere verbis huic adstipulatur Rimbegla, ut & *Sturlaugi Laboriosi* historia cap. 1. Vid. *Thorfæi* Ser. Reg. Dan. Libr. 2. cap. 4. Nec non prologus *Eddæ* cap. 3. Eorum vero, qvi historiam borealem, vel ad *Noachi* nepotem *Magogum*, vel ad *Sarugum patriarcham*, vel ad ipsum *Adamum* elevant, commenta dudum explosa hic excutere non vacat.

§. 10.

Inter *Odini* inventa, qvibus posterorum memoriæ consuluit, principem locum meretur poësis, cui, qvantacumqve nobis superest, mille circiter annorum notitia fere soli debetur (1). Qvemadmodum enim artis hujus auctorem veteres, & vivum adorarunt, & mortuum divinis mactarunt honoribus, ita cum nova religione, lingva & imperio (2) tantus repente exarsit poëseos amor honorqve, ut ipsi reges, regumqve uxores & liberi his sacris operarentur (3); & qvo qvisqve rerum gestarum gloria magis inclytus, eo præstantior qvoqve poëta fuerit, diciqve possit, heroicis hisce temporibus, poësis bellicæ fortitudinis comes indexqve fuisse.

(1) communi fere doctorum consensu creditur Odinus, ultimum autem & Uppsaliensem intelligo, proximo a. Ch. N. seculo in Septentrionem venisse. Dania vero & Norvegia decimo p. Chr. N. seculo ad fidem Christianam conversæ sunt; illa qvidem imperante *Haraldo Blaatand*, circa medium, hæc regnante *Olao Tryggvino*, ultimis seculi Xmi annis. *Svecia* autem, ineunte seculo undecimo,

mo, rerum potiente *Olao Skotkonung*, ſacris Chriſtianis initiata eſt. Decem igitur circiter ſeculis viguit *Odiniana* ſuperſtitio, qvo tempore poëſis vel ſola, vel præcipua borealis hiſtoriæ cuſtos fuit.

(2) Vid. *Langeb.* Script. Medii Ævi Tom. 2. p. 34.

(3) Antiqviſſimi *Daniæ* reges, *Grammius*, ejusqve ſponſa *Groa*, Sigtrugi Sveciæ regis filia, *Hadingus*, cum uxore *Hartgrepa*, & filia Svanhvita, eximii poëtæ fuerunt, teſte Saxone. *Ragnarum Lodbrok* cum uxore *Aslauga* filiisqve omnibus vates fuiſſe, tum ipſe Saxo, cum fragmentum *Islandicum* de regibus Dano-Norvegicis. Vid. *Langeb.* Script. Rer. Dan. Med. Ævi. Tom. 2. pag. 272. ſeq. ſatis teſtantur. Rex *Norvegiæ Haraldus* vulgo Hardraade, imperioſus dictus, qvod ejus hiſtoria nondum impreſſa paſſim docet, poëta promtus & ingenioſus fuit; cujus de itinere ad *Pontum Euxinum* & in *Africam* expeditione poëmatium vide *Barthol.* Antiqv. Dan. Libr. I. cap. 10. pag. 155. Idem qvoqve narrat *Snorræſonii Heimskringla* in vita *Haraldi* Pulcricomi cap. 31. 32. de *Enaro Orcadum* Comite, *Rollonis* Pedeſtris, primi Normandiæ Ducis fratre.

§. 11.

Ad decus ſplendorem & celebritatem aularum duplex hominum genus olim pertinuit, nec pluribus purpuratorum ordinibus priſca ſimplicitas indiguit. Unum *Athletarum* fuit, qvos *Berſerkos* dixêre, alterum poëtarum ſive *Skaldorum* ([1]). Illi viribus & vaſtitate corporum immanes, periculorum mortisqve contemtu, nec non plus qvam belluina in præliis ferocia & rabie famoſi, hoſtibus qvidem formidati, pro ſui vero principis ſalute devoti fuêre; pluriumqve in eorum virtute præſidii ſitum exiſtimabatur ([2]). Hi autem rerum uſu, conſiliis & eloqvio præſtantiſſimi, imo ſapientiæ & rerum præteritarum memoriæ ſoli cuſtodes & magiſtri habebantur. Horum erat notare mores & tempora, regum cupiditates & iracundiam moderari, majorum laudes prædicando ad antiqvæ virtutis amorem accendere juniores, ſuisqve carminibus geſta regum & heroum ſempiternæ poſterorum memoriæ commendare ([3]). Qvis igitur miretur reges antiqvos, ut erant nominis & famæ poſthumæ appetentiſſimi, plurimi feciſſe

ciſſe *Skaldos*, eosqve non intimæ ſolum admiſſionis amicos, conſiliorumqve participes & arbitros, ſed individuos qvoqve comites, proximosqve, ut in conviviis ſeſſores, ita in acie ſtipatores, & rerum geſtarum teſtes habuiſſe (⁴). Vetuſtiſſimis vero temporibus, qvi belli fulmina, vatum qvoqve iidem principes fuêre (⁵).

(1) Sicut artis poëticæ, ita *Berſerkorum* qvoqve ordinis *Odinum* auctorem facit *Sturlæſonius*; Vid. Ynglingaſaga cap. 6.

(2) *Berſerkos Saxo Grammaticus* Hiſt. Dan. Libr. 7. in vita Regis *Haldani*, vivis coloribus depingit. Tales enim *Syvaldus* cum filiis, & cum ſociis *Hartbenus* fuit. Talis *Agantyr* cum fratribus, qvos a *Hialmare* & *Örvaroddo*, hujus hiſtoria proſtratos memorat, Tales & *Attilæ Svecorum*, & *Rolfoni Kraki*, celeberrimo *Danorum* regi militabant. Tales *Haraldo Hildetand* & *Sigurdo Ring* in pugna *Bravallenſi*, teſte *Saxone*, complures adfuerunt. *Berſerkos* ſecum habuit, eorumqve fortitudini debuit *Haraldus* Pulcricomus victoriam in prælio *Hafursfiordenſi* reportatam, qva totius tandem *Norvegiæ* imperium adeptus eſt, Vide. *Heimskr*. Vit. *Har*.

Pulcricomi. cap. 9. 19. 20. & *Vatzdælasagam* nondum impressam. *Berserkorum* vero, cum creberrima in historiis sit mentio, plura exempla adferre non opus est.

(3) Sic *Frothoni*, qvi Saxoni tertius, non solum strenuam operam locavit, sed consiliis qvoqve & prudentia profuit *Ericus* poëta, disertus æqve ac sapiens, ipseqve non ita magnis in Norvegia natalibus ortus, *Sveciæ* Rex tandem evasit. Vid. Sax. Hist. Dan. Lib. V. Sic *Ingellum* Regem uxori gulæqve emancipatum, & peregrinis deliciis diffuentem, solis carminibus ad frugem revocavit *Starcatherus*. Eodem teste Sax. Lib. VI. *Haraldi Pulchricomi* filium *Gudrodum* educavit *Thiodulfus* senior s. *Hvinensis*, poeta sui temporis facile princeps, cujus cantilenis Sveciæ & Norvegiæ historia antiqvior magna ex parte debetur. Hunc vero *Gudrodum*, cum matris odio aversaretur *Haraldus*, patrem filio, qvod frustra tentassent alii, prudentissimus vates conciliavit. Vid. *Heimskr.* in vita H. *Pulchric.* cap. 26. Nec minori Regis *Haconis Adalsteni* Alumni gratia valuit *Evindus* vulgo *Skaldaspillir* dictus, qvod caeteros suæ ætatis poëtas sua claritate obscuraret. Cum enim prandenti Regi inopini hostium adventus ingratum nuntium deferre nemo sustineret, detrectantibus aliis detulit

tulit *Evindus*, nec offendit Regem. Vid. L. c. Vit. Hac. *Boni.* c. 28.

(4) Qvanti *Biarconem Rolfo*, *Starcatherum* Frotho, aliiqve Reges æſtimarint, ex *Sax.* Hiſtoria diſcere licet. Poëtarum qvoqve cultor fuit magnus ille totius Norvegiæ primus domitor *Pulchricomus*, qvo ecqvis regum antiqvorum fortior, ſapientior, ſimulqve foelicior fuerit, neſcio; qvippe cui, ut ſenex & incruenta morte obiret, qvod ſucceſſorum perpaucis, imo plus ſesqviſeculi decurſu, ſi *Magnum Bonum*, qvi tamen juvenis mortuus, exceperis, ad *Olaum* usqve *Pacificum* nemini obtigit. Hunc vero *Skaldos* omnium aulicorum maxime honoraſſe, iisqve primariam in conviviis, ſolioqve Regis ex adverſo ſitam ſedem aſſignaſſe *Egla* ſive *Egilli Skallagrimi* vita teſtatur; Qvæ hiſtoria ſeptentrionis ſui temporis ſpeculum dici meretur, hactenus qvidem inedita, ſed propediem, ut ſperamus, auspiciis Viri magni, qvem hiſtoriæ borealium antiqvioris Jovem qvaſi Statorem merito dixeris, in lucem proditura. In prælio *Sticklaſtadenſi*, qvod ſancto Regi fatale fuit, intra clipeatam triariorum coronam, antiqvis *Skialdborg*, cujus fidei & virtuti Regis vita ſalusqve in acie tuenda committi ſolebat, poëtas conſiſtere juſſit *Olaus Haraldi* filius, ut rerum

 geſta-

geſtarum carminibus olim celebrandarum fidem propriis oculis deberent. Qvem porro in hujus Regis amicitia gradum *Sighvatus*, & in *Haraldi Imperioſi Thiodulfus* junior, poëtæ tenuerint, utriusqve Regis hiſtoriæ paſſim docent.

(5) *Biarconis*, *Hialtonis*, *Starcatheri*, *Örvaroddi*, *Hialmaris*, *Sigurdi Fafnericidæ*, & innumera alia monſtrant exempla priſcos heroas, *Alcæi* more, feroces bello, tamen inter arma ceciniſſe.

§. 12.

Victura per ævum & ære perenniora vatum fore carmina, maximeqve in utramqve partem ſive ad laudem, ſive ad vituperationem poſſe poëtas cum veteres putarent, qvo propriæ laudis & exiſtimationis erant ſtudioſiores, eo poëtas offendere magis metuebant, eosdem vero qvibuscunqve modis ſibi devinctos reddere ſatagebant, (1). Qvemadmodum igitur vatum opprobriis nulla res acrius pupugit, & hæc ignominia auctoris plerumqve morte, ſi res ita ferret, vindicari ſolebat (2); Ita laudibus poëta-

poëtarum adeo delectabantur [3], ut easdem nunc graviſſimarum offenſarum venia [4], nunc amicitia ſua, nihil autem gratia principis carius antiqvis fuit, nunc largiſſimis præmiis & donariis reges remunerarentur, [5]. Horum itaqve favorem, & liberalitem toties experti poëtæ, tanto eos amore proſecuti ſunt, ut illis commori qvam ſupereſſe præoptarent; qvodſi non contigerit, perpetuo, qvo mortem Principis, modo non daretur ulciſci, ſaltem ſolabantur, dolore cantabuerant [6].

(1) Non hoc eqvidem Borealibus peculiare fuit. Vatum enim apud Reges & principes honor antiqviſſimus eſt, & nulli fere gentium non communis. Vel pueris notiſſimum, qvanti *Homerum Alexander*, *Ennium Scipio*, *Horatium* & *Virgilium* fecerit *Auguſtus*. Horum enim carminibus fore, ut a ſera qvoqve poſteritate celebrarentur, augurio haud vano præſagiebant Principum prudentiores. Sed ut ad Septentrionales revertar, qvam noluerint veteres ignominioſis vatum carminibus proſcindi, qvod monſtret, exemplum nobis ſuppeditat Regis *Haraldi Imperioſi* hiſtoria. Tributum forte,

Præfectis Regiis, qvorum unus erat, dandum attulerat *Enarus* qvidam, cognomine *Fluga*, magnæ vir dignationis, & gratia tunc Regis florens, sed adeo vehemens & injustus, ut cum multos levibus de causis occidisset, nullius tamen cædem, pecunia vellet rependere. Hic convivanti Regi nautas qvosdam, illiciti cum *Finnis* commercii suspectos, a se interfectos nunciavit. Audiit narrantem *Hallius* Poeta, qvi cum commilitone, positis utrinqve pignoribus, per jocum pactus fuerat, se *Enaro* qvantumvis feroci, & indebitam sibi pecuniam extorturum. Nec mora, assidentem Regi *Enarum* accessit, propinqvum suum ab eo occisum asseverans postulavit cædis, &, ut sibi, qvæ vindici sangvinis deberetur, pecuniæ mulcta ex æqvo satisfaceret, rogavit. Interpellantem iratus repulit *Enarus*, sui moris non esse dicens pro cædibus nummos dispendere; *Hallioqve* idem semel iterumqve occinenti, ni desisteret, mortem insuper intentavit. Tandem poëta, hanc se injuriam, mitioribus frustra tentatis, probroso carmine ulturum haud obscure minitatus, contumaciam hominis adeo fregit, ut pecuniam, svasu Regis invitus erogare, qvam Hipponacteo felle perfundi mallet.

(2) Con-

(2) Contumeliosis Islandorum carminibus adeo excanduit *Haraldus Gormonis* filius vulgo *Blaatand*, ut expeditionem in *Islandiam* meditaretur, sed metu maris, longis navibus impervii, & geniorum terræ tutelarium dicitur absterritus, vid. *Knytl. S.* cap. 111. Hujus *Islandorum* in Regem odii causam affert *Snorræsonii Heimskr.* in vita *Ol. Trygg.* cap. 36. seq. — *Stefnerem* in *Dania* occidi fecerat *Sigvaldus Jomsvicensium Dux*, ob paucos, qvibus se notari credidit, versiculos, vid. *Kristnisaga.* edit. *Hafn.* & *Ol. Trygg.* Historia ed. *Skal.* P. II. p. 308. Ob famosum carmen *Thorvalldus Codranis filius*, qvi unacum Episcopo *Germano* nomine *Friderico* religionem Christianam Islandis primus annunciavit, duos in Islandia, & unum, in *Norvegia* interfecit, vid. *Kristniss.* c. 4. Eandem qvoqve ob causam *Thangbrandus* ab *Olao Tryggvino* in *Islandiam* missus *Veturlidum* poëtam, & *Thorvaldium Veilium* occidit. Vid l. c. c. 8. conf. *Ol. Trygg.* vit. P. II. c. 118. & *Nialam* edit. *Hafn.* cap. 103. Ejusmodi qvoqve famosos versus in *Nialem* & filios fecerat *Sigmundus* qvidem, ab iisdem idcirco occisus. Vid. *Niala* c. 44. 45. Qvin & ipsæ leges antiqvæ famosi Carminis auctores exilii poena plectendos statuere. Instar omnium sit Capitulare circa ann. 744. in Cor-

Corpore Juris Germ. Antiq. Edit. Georgifch. p. 496. ubi: *Qvi in blasphemiam alterius cantica compofuerit, vel qvi ea cantaverit, extra ordinem judicetur, nam lex hujusmodi præcipit exiliari.* *Vigslode*, f. Jus *Islandorum* Criminale: cap. 112. confr. I. Gulathing. Tit. Juris perfon. & Juris *Island*, Tit. eund. §. de Carminibus. Qveis pro circumftantiis ftatuendam in reos poenam effe jubet *Magnus* LL. Emendator.

(3) Non Deos folum, Reges & heroas viventes, fed mortuorum qvoqve manes, qvin & locorum genios, fuis laudibus oble&ari credidit antiqvitas. — Docet hoc exemplum *Thorlevi* Jarlorum Poëtæ. vid. Ol. Trygg. Hift. P. I. c. 173. *Vatnari* Regis ejusqve pofterorum *Sníalli* & *Hialli*, vid. Landn. S. Ed. Hafn. pag. 386. 387. 388. conf. ill. Schöningii Hift. Norv. P. I. cap. 5. §. 9. Qvi locus qvoqve monftrat hiftoriæ antiqvioris cognitionem, apud poëtarum familiam qværendam fuiffe. *Thorvaldi* cujusdam cognomine *Hölbarki* meminit Landn. S. P. III. c. 10. Qvi carmen de genio qvodam faxicola, qvem *Surtum* nominat, compofuit, ipfiqve in antro, qvod inhabitare credebatur, præfens recitavit.

(4) Vitam

(4) Vitam ab infenſiſſimo ſibi Rege *Erico Blodöxio* redemit *Egillus Skallagrimi* filius artificioſo poemate, qvod *Höfudlauſn Egills* inde dicitur. Eodemqve nomine inſignit *Knytlinga* ſaga carmen illud, qvo *Canuti* Magni conceptam in ſe iram placavit *Thorarinus Loftunga*, Encomiaſtes dictus. Carminibus inſignis poeta *Hallfredus Vandrœdaſkald* Regis *Olai Tryggvini* animum ſubinde abalienatum ſibi conciliavit. vid. Vit. *Ol. Trygg.* cap. 2. pag. 109. 110. 131. 132. Eodemqve modo homicidii culpam expiavit idem *Hallfredus*, ab *Erico* Comite morti deſtinatus, vid. Lib. cit. App. p. 20. Extemporali carmine vitæ periculum evaſit *Hallius* poëta, cum Regem *Haraldum Haardraade* graviter offendiſſet.

(5) Regum & Principum in poetas liberalitatis documenta, monumentorum hiſtoricorum omnis fere pagina teſtatur, in re igitur adeo cognita, unum alterumqve exemplum attuliſſe ſuffecerit. A *Canuto* Magno prædicti carminis præmium accepit *Thorarinus* 50 marcas argenti puri, vid. *Knytl.* S. c. 19. Nec minus munificum *Canuti Magni* patrem *Svenonem Tiugeſkegg* expertus eſt *Thorlevus Jarlorum* poeta prætioſo non tantum annulo aureo gladioqve, ſed & navi mercibus & nautis

inſtructa

instructa donatus. vid. *Ol. Trygg.* Hist. P. I. c. 169. 171. Cum in *Fyrisvallis* fratrem *Styrbiörnonem* vicisset *Ericus Victoriosus* Rex *Sveciæ*, Poetam anqvisivit, qvi hanc victoriam carmine celebraret, *Thorvaldumqve Hialtasonium* pro singulis versibus semi-marcæ annulo impertivit. *Styrb.* Hist. cum *Arii* Schedis *Oxonii* edit. pag. 117. 118. Aureum etiam annullum *Thorgilso* cuidam dedit *Haraldus Hardraade*, cum qvo alternis versibus aliqvamdiu contenderat. Dixeris antiqvorum in remunerandis poëtis liberalitatem æmulatos *Venetos*, qvi *Actio Sannazario* pro singulis in Venetias epigrammatis versibus centum aureos dedere. Celeberrima qvoqve *Ludovici* XIV. *Galliæ* Regis munificentia, qvi circiter 20000 imperialibus donavit *Vitum Beringium Danum* Authorem distichi seqventis:

Par urbi domus est, urbs orbi, neutra triumphis
Et belli & pacis par, Ludovice *tuis.*

Vid. *El. Casp. Reichards.* Anmerkungen zu Lud. Holbergs moralische Gedanken Leipz. 1754. p. 575.

(6) Adeo miserrimam *Frothonianæ* cladis imaginem alte pectori insertam gerebat Starcatherus, ut

ut ab intimo præcordiorum ejus ſeceſſu clariſſimi ducis reſpectus convelli neqviret: verba ſunt Saxonis Hiſt. Dan. Libr. VI. Ad *Svoldenſis* prælii nuntium, velut fulmine ictus obſtupuit *Hallfredus* poëta, caſumqve dilectiſſimi Regis, qvem etiam ulciſci temere decreverat, nunqvam dedoluit. vid. Ol. Tryggv. Hiſt. P. II. c. 99. & App. p. 19. Regi ſuo *Olao* Sancto, ejus hiſtoria teſte, adeo devotus erat *Thormodus* poëta, *Kolbrunar Skald* dictus, ut ipſi ſuperſtes eſſe noluerit. Exitum enim prælii & regis obitum ominatus, priusqvam colliderentur acies, optaſſe dicitur, ut ſibi liceret eodem cum rege loco, noctem tranſigere; qvippe ſancti regis meritis & precibus vel coelum ſibi conceſſum iri credidit vir catholicæ religionis dogmatibus imbutus. Nec perfidum dixit ſacramentum; nam non modo fortiſſime, & qva certa mori virtus ſolet, audacia dimicavit, ſed cæſo rege, cum cæteris evadendi conſilium dediſſet, ipſe per infeſta loca obambulans occiſorem tamdiu qvæſivit, donec letiferum ſagittæ ictum, non ſecus ac voti compos, lætus exciperet.

§. 13.

Pro rerum canendarum conditione diverſa, varia qvoqve fuerunt veterum poëmata. Ve-

Verum ut, gratiſſimum olim & maxime ſolenne, ita propter uſum hiſtoricum *Heroicum* illud, ſive laudatorum genus præcipuum dici debet. Nec tamen una fuit carminis laudatorii ſpecies: Nunc enim propria facinora, vel in ipſo mortis agone conſtituti cecinêre vates(1); nunc alios laudabant. Si mortuis carmine parentarent, *Epicedia*(2); Si vero unam alteramve victoriam celebrarent, *Epinicia* vocari poſſunt eorum carmina(3). Ea porro, qvæ in viventium gratiam pepigêre, nunc vitam vel illuſtriora ſaltem geſta principis aut viri cujusdam continebant (4), nunc majorum qvoqve laudibus admiſtis, longam ſubinde proſapiæ ſeriem contexuerunt, unde *Genealogica* carmina dici merentur (5).

(1) Præter *Starcatherum, Ragnarum, Lodbroch, Haralldum* imperioſum, vid. §. 10. res proprias carmine complexus eſt *Örvaroddus*, qvi morſu vipereo intumeſcens & morti vicinus, unam militum partem verſus, qvibus geſta ſua incluſit, ediſcere, alteram rogum ſibi ſtruere juſſit. Vid. Schönning. Hiſt. Norv. pag. 481 482. Idem qvoqve refert *Ormi Storolfsſonii* Hiſtoria de *Asbiörno* qvodam Dano, qvi inter letales cruciatus de rebus ſuis cecinit. vid. Ol. Trygg. Hiſt.

Hiſt. App. p. 13. 14. Cæterum ſingulos fere conflictus & facinora carminibus illuſtrare ſolebant antiqvi pugiles, qvod *Thordi Hræda*, *Gretteris*, de qvibus ipſorum hiſtoria conſuli poteſt, ut & *Háſteini*, vid. Landn. S. P. II. c. 33. exempla monſtrant.

(2) Mortuum *Haconem Adalſteni Alumnum* carmine ſupra memorato *Hakonarmaal*, laudavit *Evindus Skáldaſpillir*. vid. Heimskr. Vit. Hac. Boni c. 33. *Haraldi Gráfeldi* Norvegiæ regis mortem *Glumus Geiriſilius*, carmine, qvod *Gráfeldar drápa* dicitur cecinit; vid. Libr. cit. in Vita *Ol. Tryggv.* c. 13. Ad Epicedia veterum idgenus poëmata referenda ſunt, qvæ de mortuis amicis & cognatis, non tam honoris, qvam amoris ergo compoſuere, *Erfisdrapur*, vel *Erfis Qvædi* olim dicta, qvod tamen generale epicediorum nomen fuiſſe non videtur. Ejusmodi næniam filio *Bödvaro* dixit *Egillus Skallagrimi* filius, teſte ejusdem *Egilli* hiſtoria.

(3) *Erici* Victorioſi de fratre *Styrbiornone* victoriam cecinit *Thorvaldus Hialtaſonius* vid. §. 12. Epinicium, qvo *Haraldi* Imperioſi de *Svenone Ulſſonio*, vulgo *Eſtridſen*, Daniæ Rege in prælio *Nizenſi*, victoriam celebravit *Steno Herdiſæ* filius, *Nizarviſur* vocat *Knytlinga* S. c. 25.

(4) De expeditione *Anglicana Canuti Magni* carmen *Knutsdrápa* compoſuit *Ottarus Niger*, vid. Knytl. S. cap. 8. ſeqq. *Magni Boni Arnorus Comitum Poëta*, *Svenonis* vero *Ulfſonii* res geſtas *Thorleikus Pulcher* cecinit, Lib. cit. cap. 22. *Erici Boni* vitam *Cnutidarum* hiſtoriæ auctor ex *Marci Skeggonidis* de eodem Rege poëmate, qvod *Eriksdrápa* vocatur. l. c. Cap. 70 ſeq. exſcripſiſſe videtur. Geſta *Har. Pulchric. Glym drápa Thorbiörni Hornkloſi*; *Haconis Boni*, *Haconardrápa Guttormi Sindri*; *Haconis Hladarum Jarli*, *Vellekla Enari Skalaglam*; *Erici Haconidis* Comitis; *Eritsdrápa Thordi Kolbeni* filii, perſeqvitur. Horum & aliorum carminibus, vel ipſo fatente *Sturlæſonio* nititur Hiſtoria Borealis antiqvior.

(5) Regum olim & heroum ſtemmata, metris includere perantiqvi in ſeptentrione moris fuiſſe, ſola arguit cantilena *Hindloliód*, qvæ odarum Sæmundanarum una eſt; in hoc enim *Ottari Stulti* familia a *Diis* inde & *Jotunis* deducta recenſetur. vid. *Torf.* Ser. Dan. Lib 3. c. 4. Ut vero ab Eddicis fabulis, qvas tamen indubias rituum antiqvorum teſtes & indices exiſtimo, diſcedam, geminas, easqve nobiliſſimas *genealogicæ poëſeos* reliqvias nobis conſervavit *Sturlæſonius*: fragmenta nempe carminum

Yng-

Ynglingatal & *Háleygiatal*, qvorum illud auctorem habet *Thiodulfum Hvinensem*, qvi vergente seculo IX. & ineunte X, sub *Rögnvaldo Herdomhærre*, *Haldano Nigro* & *Haraldo Pulchricomo Norvegiæ* Regibus floruit. Continentur hoc carmine, non modo catalogus, sed gesta & fata singulorum Regum ab *Odino* ad *Haralldum* usqve *Pulchricomum*, qvi ab *Odino* per *Olaum Lignatorem* descendit. Hujus poëmatis fidem secutus integram *Ynglingorum* historiam adornavit *Snorro*; adeo ut antiqvissima regni *Sveciæ* historia ab *Odino* ad *Ivarum Vidfadmium*, huic *Thiodolfo*, ejusqve interpreti *Sturlæsonio* debeatur. Carmen vero *Háleygiatal* in gratiam *Haconis Hlada Jarli* composuit *Evindus Skáldaspillir*, qvi *Hacone Bono*, *Blodöxii* filiis & *Hacone Hlada Jarlo* imperantibus claruit; certe qvod anno Chr. CMXLIV, qvo cum piratis *Julinensibus* prælio navali confixit *Hacon*, superstes fuerit, patet ex *Helmskr*, vit. *Ol. Trygg.* c. 43. Pauca tantum hujus carminis fragmenta nobis reliqva sunt, qvæ de gestis *Haconis Hlada Jarli*, ejusqve patris cæde agunt; qvod vero *Thiodolfi* exemplum imitatus, regium & perantiqvum *Hálogensium* stemma, unde dictus *Hacon* Jarl oriundus, recensuerit, titulus indicat poëmatis. vid: ill.

Skiönning. Hiſt. *Norv*. c. 2. §. 13. Videtur qvoqve *Knútsdrápa*, qvam *Sighvatus* poëta, qvi ſub *Canuto Magno*, *Olao Sto*, *Magno Bono* Regibus floruit, in *Canuti Magni* gratiam concinnavit; cujus fruſtula per *Knytlinga Sagam* & *Heimskringlam* ſparſa leguntur, non tantum *Canutum* M., ſed & antiqviores Daniæ Reges celebraſſe; qvod *Lodbrochidarum* meminerit, docet *fragmentum Hiſtoricum* de *Regibus Dano-Norvegicis*. Vid. *Langeb*. Script. Rer. Dan. M. Æ. Tom. II. pag. 279.

§. 14.

Eſt & aliud poëſeos antiqvæ genus, qvod, qvoniam tradendis ad religionem & mores pertinentibus rebus occupatur, *Didacticum* vocare liceat. Ejusmodo vero carmina vel morum & prudentiæ regulas inculcant; vel corruptas antiqviſſimæ hiſtoriæ, theologiæ, philoſophiæ reliqvias, fabularum involucris occulunt. Illud poëſeos genus *Ethicum*, hoc *Mythologicum* dixeris.

Horſum tota ſpectat Odarum Eddicarum congeries, qvas inter cantilenæ, vulgo *Háva mál*

mál pars prior haud ſpernenda morum præcepta complectitur; cæteræ, ut *Völuspá*, *Alvis-mál*, *Grimnis-mál*, *Vaſtrudnis-mál*, *Fiölſvins-mál*, Theogoniam, Cosmogoniam & Phyſicam, hiſtoria majorum admiſtam exponunt. Deorum res geſtas narrant *Skirnisför*, *Harbards-liód*, *Hymis-qvida*, *Thryms qvida*, *Vegtams-qvida:* Reliqvæ vel ænigmata, ut *Getſpeki Heidrecs*; vel magiam, runas, & incantationes continent, ut *Gróugaldr*, *Brynhildar-qvidæ* & ſupra memoratæ *Skirnisför* pars qvædam, ut & odæ *Hávamál* pars poſterior, qvæ alias *Rúnacapitule* dicitur: vel *Niflungorum*, *Volſungorum*, *Giukungorum* & aliorum res geſtas, figmentis adulteratas exponunt. Cantilena vero *Sólar liód* ſpuria & cæteris multo recentior videtur. Eddica hæc monumenta doctiſſimorum virorum ingenia jam dudum excucurunt. Ego qvidem, qvæ his continentur, qvædam eſſe *Upſalenſis Odini* commenta & vaframenta; nonnullas qvoqve vetuſtiſſimæ *Schytarum* Theologiæ & Philoſophiæ reliqvias; qvasdam vero *Bardicarum* cantilenarum lacinias & fragmenta crediderim, qvæ cum peregre literis operaretur *Sæmundus*, in *Gallia* vel *Germania* conqviſiviſſe videtur.

Qvemadmodum vero *Sæmundianæ* collectionis bonam partem jam periisse reor, ita plurimos ejusmodi cantus *Saxoni*, cum historiam *Danicam* scriberet, ad manus fuisse non dubito, unde cum ipsa, qvæ intermiscuit carmina, tum narrationes, qvarum apud alios vel pauca vel nulla supersunt vestigia, fabulis interdum, qvod carminis indolem sapit, qvam historiæ similiores mutuatus est. vid. Præf. *Edd. Resen.*

§. 15.

Nec veteribus foeminei amoris conciliatrix musa defuit; amatorii enim carminis, qvo suos ignes cecinêre, haud infreqvens in historiis est mentio ([1]). Verum id qvoqve artis poëticæ munus & indicium putabatur, posse, sicubi libuerit, ignominiosa carminum mordacitate inimicos ulcisci & castigare ([2]). Solebant porro veteres, non cantare modo, sed & respondere parati, qvo promtitudinem ingenii & venæ poëticæ ubertatem ostenderent, alternis versibus contendere; qvo in certamine palmam æmulo præripuisse non minimæ laudi ducebatur ([3]). Unde tria poëseos genera majoribus nostris cultissima emergunt;

gunt; nempe *Eroticum*, *Famoſum*, & *Amoebæum*.

(1) Erotopægnia veterum *Manſaungr* vel *Manſaungsviſur* olim dicta ſunt; qvæ vox a *Man* virgo poëtice, & *Saungr* cantus, compoſita eſt. Inter artes ſuas numerat *Odinus* in Oda *Hávamál*, qvod carminibus animum fœminæ ita faſcinare noverit, ut duraturo qvoqve amore in ſe tota propendeat:

Þad kann ek id XVIda
Ef ek vil ins ſvinna Mans
Hafa ged alt oc gaman
hugi ek hverfe
hvítarmri kono
oc ſny ek hennar
aullum ſefa.

Þad kann ek id XVIIda
at mic man ſeint firraz
ed man vinga mann
Lióda þeſſa munþu Lodfabnir
lenge vanr vera
þo ſe þer god ef þu getr.

þaurf ef þu þiggr
nyt ef þu nemr.

ɔ: *XVIstam hanc artem calleo; qvodsi ingenuæ virginis meum esse voluero favorem integrum & familiaritatem, animum muto brachia candidæ fœminæ, ejusqve mentem penitus inverto.*

Id novi XVIImum; qvod me sero relictura sit amica mulier. Hæc te, Lodfabnere, carmina diu fugient, ut ut memoranti bona, proficua recipienti, & discenti tibi utilia sint.

Miror Eddam Resenianam, *Lióda vanur*, reddere *carminum peritum*; mihi *vaur* hic *carentem* significat; qvemadmodum in *Locasenna*; *Jós oc armbauga vanr*, *eqvo armillisqve carens*, & *Tyr se handar vanr*, ɔ: altera manu mutilum, sive unimanum fatetur, qvippe cui manum *Fenrir* præmomorderat; sed hæc in transitu. Aulicus *Olai Sancti* poëta *Thormodus Kolbrunar Skáld*, ɔ: *Kolbrunæ poëta* cognominatus est, qvod olim in *Kolbrunæ* cujusdam gratiam carmina cecinisset. De *Ingolfo Thorsteni filio*, habet *Vazdæla*: *let Ingolfr þa af qvomum, enn orti mansaungs visur no-ekurar um Valgerdi, oc qvad sidan* ɔ: *Venti-*

tare

tare tum qvidem desiit Ingolfus, sed amatoria qvædam de Valgerde carmina a se composita palam recitavit. confer. Ol. Tryggv. Hist. P. II. p. 82. De *Egillo Skallagrimi* filio idem refert *Egla* cap. 56. *Arinbiörn spurdi, hver kona su veri, er hann orti mansaung um.* ɔ: *Interrogauit Arinbiornus, quænam esset fæmina, cui carmen amatorium pangeret.* Gustus ergo ex *Viglundi Pulcri* Historia. Edit. Hol. p. 28. Erotopægnium dabo, cui casta venus & is lepor inesse videtur, qvi Nasonianæ & Tibullianæ musæ parum aut nihil concedat.

Mær nem þu mínar vísur
munnfögr ef þú vilt kunna
þær muno þer at gamni
þorngrund verda stundum
ef yturum verdur uti
eigendur litin Freya
þá munþu mannin mióa
minnaz hverio sinni.

ɔ: *Oris virgo pulcelli versus disce meos, si meminisse velis; hi tibi, foemina, tædia fallent, si diutius aberit amasius, formosiqve juvenis te identidem commonefacient.*

✗ Stódum vid tvö i túni
tók hlìn um mik ſìnum
höndum hìrlikt kvendi
hárfögur oc gret ſáran
tídom fell tár af tródu
tilſegir hugrinn vilia
ſtrauk drìſhvítum dúki
drós um hvarmin lióſa.

✗ Abſenti porro hæc:

ɔ: *Una ſletimus ambo herba ſuper viridi, cum me pulcra comas & hilare tuens foemina manibus ſuis ambiens flevit amarum; lacrymasqve crebro deciduas, (prodit enim voluntatem animus,) nive candidiori linteolo nitentibus abſterſit ocellis.*

(2) Ignominioſa carmina veteres *Níd* vocarunt. Horum ſibi facultatem eſſe in carmine Eddico *Locaſenna*, qvo ſingulos Deorum apud *Ægerum* convivantes, convitiis impetit, gloriatur *Lokius*:

Veitzo þat Eldir
ef vid einir ſcolom
ſáryrdom ſacaz
Audigr verda

man

man ek i andsvörom
ef þu mælir til mart.

ↄ: *Nosti, Eldir, si dicteriis mordacibus invicem certabimus, non mihi defore respondendi copiam, si tu garrulus lacessiveris.*

Tali maledicendi & altercandi certamine *Ericus* & *Grep*, mox *Götvara* & *Ericus* inter se ita committuntur, ut utrobiqve non sine laude superior evaserit *Ericus*, apud *Saxonem*. Hist. Dan. Libr. V. A mordacitate carminum *Audunus*, qvem *Haraldus Pulchricomus* maximi fecit, *Illskiælda* ↄ: *poëta maledicus* cognominatus est. De *Hallfredo Vandrædaskáld* refert Ol. Tryggv. Historia P. II. p. 81. Hallfredur var skáld gott thegar á unga aldri, oc allnídskárr "ↄ: *Poëtam adolescens qvoqve egit Hall-*" *fredus, felicem qvidem, sed justo procaciorem.*" De his vero supra §. 12. egimus.

(3) Alternis versibus contendere, a remotissimis inde temporibus moris fuisse poëtis, *Edda Sæmundiana* satis ostendit, cujus pleraqve carmina nihil aliud sunt, qvam metrici Deorum & aliorum dialogi. Colloqvii poëtici *Erici* cum *Olimaro* meminit Saxo Hist. Dan. Libr. V. Simile qvoqve reciprocati inter *Reginum*, *Hnikarem*

rem & *Sigurdum Fabnericidam*, nec non inter *Brynhildam* mortuam & *nympham montanam*, cujus ſedes prætervehebatur, carminis exemplum *Nornageſti* hiſtoria ſuppeditat, ubi *Brynhilda* & *nympha at liódaz á* ɔ: *per carmina colloqvi* dicuntur, vid. Ol. Trygg. Hiſt. P. II. p. 138. 189. & 142. 143. conf. Edd. Sæm. Hæc vero res in hiſtoriis notiſſima pluribus non indiget exemplis.

§. 16.

Ad ultimum poëſeos veteris genus nunc progredimur. Sicut vero in oriente, in ipſa Græcia, Italia, & neſcio ubi non magicis olim operationibus adhibita fuit poëſis ([1]), ita nullibi major, qvam in ſeptentrione præſtantiſſimæ hujus artis abuſus adeo invaluit, ut ipſi Dii venefici ([2]), ipſa qvoqve Edda religionis & poëſeos borealis magiſtra, qvalis nunc eſt, qvid ſi tota ſupereſſet, numerari poſſit inter libros carminum valentium refixa coelo devocare ſidera. Magicæ vero poëſeos cum plura fuerint genera, nos tantum tria dabimus, vel præcipua, vel qvorſum cætera referri qveant. Ejusmodi igitur

igitur carmina, qvibus aut loqvebantur, aut ad loqvendum ſolicitabantur mortuorum manes, *Necromantica* (³); qvibus Deorum, geniorum vel ſagarum reſponſa & vaticinia dabantur, *Divinatoria* (⁴); qvibus deniqve diræ in aliös canebantur, *Imprecatoria* (⁵) nominare fas eſto.

(1) Fraudulentiſſimam artium magiam in toto terrarum orbe plurimum valuiſſe, — & poſſeſſis hominum ſenſibus triplici vinculo in tantum adoleviſſe, ut hodieqve etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente regum regibus imperet, pro ſuo tempore ſcripſit Plinius L. 30. c. 1. & alibi. Huic vero comitem & miniſtram fuiſſe poëſin, præter innumera auctorum teſtimonia, vel ipſa nomina docent. Qvemadmodum enim veneficia Romani *carmina*, *incantamenta*, Græci ἐπάσματα, ἐπῳδάς, & oracula ἔπη, ɔ: *carmina*; ita Boreales *galdra*, *incantationes*, ab *eg gel*, qvod verbun, nunc de gallicinio tantum adhibetur, voçarunt; unde *galin* Dan. *gal* demens, vel cui carmina mentem moverunt, derivatur.

(2) Artis magicæ peritiam ſibi vindicat *Odinus* in ea parte carminis *Hávamál*, qvæ *Rúna-Capituli* dicitur,

qvam-

qvamvis incantatoria qvædam carmina, qvæ *Fimbulliód* vocat, ſe ab alio didiciſſe, ſtroph. 3. haud obſcure fateatur. Incantamentorum qvoqve inventionem *Odino* & *Aſæis* tribuit *Sturlæſonius* in *Heimskr. Ynglinga* S. C. VII, ubi de *Odino* ſeqventia: " *Omnes (vero) has artes*, (magicas puta, qvas ante recenſuit) *tradidit aliis ope* Runarum *carminumqve, qvæ* Galdrar *vocantur*; *qvocirca vocati ſunt Aſæ* Galdra - Smider, (*carminum magicorum artifices.*)"

(3) Necromanticæ qvoqve artis peritum ſe jactat *Odinus* in *Runa Cap.* Stroph. 20.

Þat kan ek id tólſta
ef ek ſe á tre uppi
vafa virgil ná
ſva ek riſt
oc i rúnom fáe
at ſá gengr gumi
oc mælir vit mik.

ɔ: *Id novi duodecimum, quodſi videro per ſumma arboris volitare umbram demortui, inciſos runis characteres ita adrado, ut accedens larva mecum loqvatur.* Inſanientem hanc ſcientiam *Odinum* & *Aſæos* exercuiſſe ſcribit qvoqve *Stur-*

Sturlæſonius Libr. & cap. citt. » *Odino cog-*
» *niti erant theſauri omnes ubicunqve in terra*
» *conditi, eaqve carmina calluit, qvorum virtute*
» *ſibi rupes, ſaxa & tumuli recludebantur; ho-*
» *rum incolas ſolis verbis ligavit, & ingreſſus,*
» *qvæcunqve voluit, abſtulit.* Et paulo ſupe-
» rius: *Non nunqvam mortuos ex ſepulcris ex-*
» *civit* (Odinus,) *aut ſub patibulis conſedit, qva*
» *ex re lemurum aut ſuſpenſorum dominus eſt*
» *vocatus.*» Magas has artes Æeaqve carmina novit *Hervara,* qvibus gladium petitura *Angantyrem* & fratres evocavit, adeo ut necromanticæ poëſeos haud ignobile ſpecimen nobis exhibeat ejus hiſtoria cap. VII. Furvo qvoqve metri genere aliqvoties uſus eſt errabundus poſt mortem *Klauſius*, vide. *Svarfdæla Saga.* Carmine etiam *Surtus* qvidam, cujus tumulum effregerat *Hördus*, violatori manium fata ſua prædixit teſte *Holmveria S.* Ed. Hol. p. 89.

(4) Deorum & Geniorum reſponſa & vaticinia per carmina dari ſveviſſe docet modo citata *Holmveria S.* p. 122. Ubi, cum pro more ſuo fanum adiiſſet *Thorſtanus Gullknappus*, auribus ſuis ex lapide allapſum hoc carmen excepit:

Þú

Þú hefir hingat, seinasta sinni,
seigum fótum, fold sporada,
Þvi mun rett, ádr rödull skíni,
hardr Eindridi, heiptir gialda.

i. e. *Huc tu, ultima nunc vice, moriturus pedem tulisti, a te enim ante ipsum diurni jubaris ortum sævus* Endridius *ultrices exiget poenas.* Ejusmodi vero carminum a Parcis & Geniis cantatorum, qvibus prælia, regum principumqve cædes prædicebantur, plurima in historiis occurrunt exempla, inter alia vid. *Niala* ed. Hafn. c. 126. 158. Vaticinia Sagarum memorat tum *Vazdæla S.* & *Landnáma S.* P. III. c. 2. Ubi sedes in terra nondum culta *Ingemundo* & sociis prædixit saga qvædam, nomine *Heidur*; cum *Olai Tryggv. Historia* P. II. p. 144. 145. Ubi *Nornagesto* in cunis vagienti sagæ tres fata cecinerunt. Hæ vero nugivendulæ partim carminibus ad inspicienda fata indiguerunt, qvæ *Vardlokur Erici Randi historia* vocat, vide *Barthol. Antiqvit. Dan.* Libr. III. cap. 4. partim oracula ipsa metrico sermonis genere ediderunt, qvod *Örvaroddi* & *Asbörni Prúdi* exempla docent, de hoc vid. *Ol. Tryggv. Hist. Append.* p. 10. De famosis vero borealium *Sagis*, qvoniam incidit mentio, pauca de iis subjiciemus.

Has

Has fatidicas veteres *Vaulur*, *Völvur*, sive *Volas* vocarunt, qvarum, qvæ bellicæ fortunæ divinatrices, huc pertinentibus auguriis præfuerunt, *Valkyriæ* dictæ videntur. *Volas* enim antiqvissimas, & *Valkyriis* ipsis si non anteriores, saltem coævas fuisse ex carmine *Vaulospá Stroph.* 20. & *seqq.* concludere licet. Utrasqve vero sagas fuisse non dubito; qvin *Volas* & *Valkyrias* unum idemqve sagarum, diversa nomina cum tempore nactarum, genus olim fuisse, parum abest, qvin credam. Certe *Valkyriarum* munus, *fata scilicet mortalium dispensare, & vitæ mortiqve dominari*, *Volis* adsignat *Vaulospá str.* 21. Neqvis vero objiciat *Volas* & *Valkyrias* veterum Deas, sive Parcas fuisse; qvis nescit omnia hæc commentitia numina homines olim fuisse, vel rebus gestis, vel artium inventione & peritia adeo celebres, ut post fata divinos honores ipsis tribuerit coeca posterorum superstitio. *Volas* præterea ad *Vidolfum* qvendam genus referre asserit *Edda* in carmine *Hindlolióđ*; & *prologus* carminis *Vaulondar Qvida* tres nominat *Valkyrias*, unam *Kiaris Vallandiæ* Regis, duas vero *Laudvis*, *f. Ludovici* Regis filias; & plura *Valkyriarum*, qvarum patres noti & nominati, exempla videbis in *Barthol. Antiqv. Dan.* Libr. II. c. XI. Ejus-

modi igitur foeminas olim vixisse qvis dubitet? *Eddicum* vero supra memoratum *prologum* legens, sagas has boreales pennis olorinis labi per aëra solitas dum cogito, subit *Ovidiana Dipsus*, qvæ hanc sagarum artem Romanis haud ignotam fuisse monstrat; de hac vero *Naso Lib. Am.* El. 8.

Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras,
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.

Sic borealium *Dædalus Vaulundus*, non secus ac ille Græcorum, factitio alarum remigio mare supervolans iram regis sui effugisse dicitur. Sic *incubones, versipelles* & alia Græcis & Romanis cum borealibus fuere communia; ut inter gentes maxime dissitas, moribus, ingenio & lingva dissimiles mira fabularum & superstitionis consensio deprehendatur, qvæ ego nunc qvidem temporis & spatii parcus omitto. *Volas* qvoqve sive *Valkyrias* sagas illas bellicas fuisse reor, qvæ Cimbros ad expeditionem Romanam secutæ sunt, teste *Strabone Geographo*, apud *Pontanum*, *Rer. Dan. Hist. Libr. I.* De qvibus *Strabo*: » *Morem hunc fuisse Cimbris usitatum ferunt. Seqventibus eos in bellum uxoribus*

" *bus, vates qvædam comitabantur canæ, albo* " *vestitu, carbasinis supparis desuper fibulis* " *affixis, cinctu æreo, pedibus nudis: Eæ per* " *castra captivis occurrebant strictis gladiis,* " *prostratosqve ad crateram æneam adducebant* " *amphoras circiter viginti capientem. Super eam pulpitum erat, qvo conscenso vates* " *sublimis, singulis supra lebetem elevatis guttur incidebant: e sanguine in crateram fuso* " *suam captabant qvandam divinationem: reliqva cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisqve spectatis, victoriam suis vaticinabantur. In præliis pelles pulsabant cratibus* " *curruum prætentas, qvibus sonitus terribilis* " *edebatur.*" A Cimbrica etiam *Vola Ariminensi* sagæ *Foliæ* nomen jocabundum *Horatium* imposuisse puto. *Epod. Lib. Od. V.* Latinam enim vel græcam vox ista non sapit originem. Nec Germanorum Celtarumqve *Alyronias*; qvarum apud *Cæsarem* & *Tacitum* occurrit mentio, a Borealium *Valkyriis* diversas fuisse, monstrat *Aventini* locus apud *E. Schedium de Diis Germanis Syngr.* II. c. 43, ubi Cimbrorum mulieres fatidicas, *Straboni* memoratas, *patrio nomine Alironias nuncupari* refert. *Alurinias*, vel *Aliorunas* non proprium sed commune omnium saga-

rum nomen fuiſſe, auctorem *Jornandem de Rebus Gothicis* ſecutus exiſtimat *Lipſius in notis ad Taciti Libr. de Mor. Germ.* Mihi qvidem omnem hujus rei dubitationem eximit ſupra memoratus *prologus Eddicus* carminis *Vaulondar Qvida*, qvi inter tres *Valkyrias* unam fuiſſe dicit *Aulrunam Vallandiæ* regis filiam; *Vallandiam* vero *Galliam* majores noſtros vocaſſe, nemini ignotum; qvis igitur in *Celtica* hac *Aulruna*, *Celtarum Alyroniam* non agnoſcit? *Aulrunam* vero, ſive *Alyroniam* fatidicam olim principem & celeberrimam fuiſſe reor, a qva cæteræ, qvæ eandem artem exercuerunt, ſicut a prima *Sibylla* ſ. *Erythræa* reliqvæ, denominatæ ſunt. *Volæ* vero nomen a *Sibylla*, vel græcorum βȣλη derivare, nimis longe petitum videtur. Inſigne divinatoriæ majorum poëſeos ſpecimen, inter Odas Eddicas in *Vauloſpá*, qvod *Volæ vaticinium* ſignificat, nobis ſupereſt.

(5) Diras & imprecatoria carmina veteres vocarunt *Niid*, ut duplex hujus genus fuerit; nam & famoſis carminibus, & imprecationibus magicis idem nomen indiderunt. Ejusmodi imprecatione magica navis ſuæ incendium

dium & cædem fociorum ultus *Thorleifus Jarlaſkáld*, *Haconem Hlada Jarlum* regni Norvegici uſurpatorem ita depexuit devovitqve, ut tantum non enecuerit, vid. *Ol Trygg.* Hiſt. P. I. c. 170. Tales imprecationes magicas in *Ericum Blodöxium*, conto, qvi inde *Nidſtaung* dicitur, inculpſit *Egillus Skallagrimi filius*, vid. S. J. *Stephanii* Notas in Libr. V. *Saxonis Grammatici.* p. 116. Thyeſtearum qvoqve precum non inficiandum exemplar *Herraudi* & *Boſii Hiſtoria* ſuggerit; imprecatorium nempe *Buſlæ* carmen, vulgó *Buſlu Bæn.* vid. *Herraudi* & *Boſæ Hiſt. ed. Upſal.* cap. 5. qvæ hiſtoria licet valde fabuloſa, antiqvitatis tamen index eſt & imitatrix. Id genus vero poëtas priusqvam miſſos faciamus, obſervamus obiter credidiſſe veteres, primum qvidem, poëtas naſci, non fieri; deinde motus ingenii poëtici nunc remiſſiores, nunc ferventiores, ut in novilunio; indeqve enatam vertiginem poëticam *Skáldvingl* dixiſſe; Poëſin porro, & omnis qvoqve magiæ expertem, artem eſſe per ſe efficacem, & tam in avertendis qvaminducendis malis, mirabiles poſſe putarunt effectus producere; & efficacem hanc poëſin, non cuivis ex trivio poëtæ, ſed entheis tantum &

præſtantiſſimis vatibus conceſſam, *Akvæda Skáldſkap* vocarunt; unde adagium: ei ſkal ſkáld eria i. e. *Poëtam ne laceſſito.* Qvæ qvidem opinio in Islandia, ut lingvæ, hiſtoriæ & poëſeos, ita ingenii antiqvioris tenaciſſima, nondum penitus exolevit. De *Hallgrimo Petri*, inſigni & in hymnis ſacris foeliciſſimo prioris ſeculi poëta, non illepidam puer fabulam audivi: Vulpeculam forte in gregem ſævientem cum conſpiceret, nec poſſet avertere, œſtro poëtico concitus fertur incaluiſſe, feramqve ſeqventi tetraſticho illico exanimaſſe:

Þu ſem bitur bænda fe,
baulfud i þer augun ſe,
Stattu nù ſem ſtofnad tre,
ſtird oc daud á jördune.

i. e. *Innocui qvæ glubis oves male paſta coloni*
Vulpes, devotum ſit tibi dira caput!
Arboreus veluti truncus, qvi fixus humi ſtat,
Stent tua letali membra revincta gelu!

De

De his vero & aliis poëtarum attributis in *Stephani Not. in Præfationem Saxonis Grammatici pag,* 12. 13. plura ſis legito.

§. 17.

Hæc veterum poëmata, qvæ ad ſuas claſſes redigere conati ſumus qvamvis non ſint ejusdem omnia momenti, ſua tamen pleraqve commendat utilitas. Nullum enim priſci carminis genus eſt, unde vel lingvam & ingenium, vel religionem moresqve majorum diſcere non poſſis. Encomiaſticæ vero poëſeos ea propria laus eſt, qvod vetustioris hiſtoriæ ſola fere fuerit conſervatrix; idem uno qvaſi ore fatentibus, qvicunqve res boreales literis conſignare primi ſunt aggreſſi (ˣ). Ferbuit per integrum ſeptentrionem artis poëticæ ſtudium ab *Odino* ad ſeculum usqve p. n Ch. decimum, vel potius ad mutationem ſacrorum. Poſt religionem Chriſtianam publica auctoritate ſtabilitam adeo elanguit promta prius & maſcula borealium muſa, ut, ſi Islandos exceperis, ab iis temporibus pauciſſima poëmatum fragmenta nobis ſuperſint, qvæ indigenas auctores

habuerint. Hujus rei caufa nec ingeniorum marcori, nec cum exteris commercio, nec bellis aut turbis civilibus, qvibus vetuftiora tempora nunqvam caruerunt, fed præpofteræ adfcribenda folertiæ cleri papalis [2], qvi confilio, forte pro ratione temporum prudenti, fed hiftoriæ & literaturæ boreali perniciofo, cum omnia vetuftiora monumenta oboleviffe, tum, qvam primum educationis & confcientiæ magifterium adeptus eft, poëfin & mythologiam borealem, neqvid novæ religioni officeret, profcripfiffe, & ceu profanam & impiam traduxiffe videtur. Qvantas igitur literarum tenebras univerfæ tunc temporis Europæ offuderat inerudita & imperiofa Curiæ Romanæ calliditas, tantam qvoqve feptentrioni caliginem & oblivionem fui induxiffet, ut ultra Albim in *Cimbrica*, & trans balthici maris finus & freta in *Scondiana Cherfonefo*, *Marii* Confulis, *Juftiniani* & *Caroli Magni* Imperatorum ævo, genus hominum vixiffe, nunc nos ignorare crederem, nifi vel exteri fcriptores docuisfent, vel magnus ille *Valdemari Imi* Pylades & fui feculi ornamentum *Abfalon*, hunc hifto-

hiſtoriæ & literarum lethargum, patriæ, cujus decus conſiliorum prudentia & armorum foelicitate aſſeruerat, minus utilem & glorioſum judicaſſet. Hujus igitur auctoritate impulſus *Saxo Grammaticus*, priſca & prævia *Islandorum* ſedulitate in ſubſidium vocata, conqviſitis, qvæ blattis & vetulis ante dedicata latuerant, antiqvitatis patriæ monumentis, corpus hiſtoriæ Danicæ ſtilo romano primus concinnavit; opus qvidem, ſi prima tempora ſpectes, indigeſtum (³), ſed pro ſuo ævo incomparabile, utpote qvod nec nervi boreales, nec latialis facundiæ lepores deficiunt.

(1) Qvemadmodum *Jornandes de rebus Gothicis* c. 4. ſcribit, horum *res geſtas, in priſcis eorum carminibus pæne hiſtorico ritu in commune recoli*; ita priſcorum carminum in hiſtoria antiqviori fidem ſe ſecutos fatentur *Sturlæſonius in Heimskr.* ed. nov. Hafn. pag. 1. 2. 4. *Saxo Grammaticus in Præfat. Hiſt. Dan*, p. 2. *Theodoricus Monachus in Hiſt. Norv. Præfatione ad Auguſtinum Archi-Ep. Nidroſ.* De horum vero carminum fide de induſtria egerunt *Bartholinus Antiqvit. Dan.*

L. I. c. 10. 11. *Torfæus. Ser. Reg. Dan.* L. I. c. 6. *Schöningius Præf. Heimskringlæ, Sven Bring* vid. *Svea Rikes Hist. Indledn.* §. 5. 6. 7. & alii, ad qvos hæc sciendi cupidum lectorem amandatum volumus.

(2) Non Runarum modo, sed Gothicarum & Latinarum qvoqve literarum usum *Saxone* & *Svenone Aggonis* in Dania & reliqvo Septentrione longe antiqviorem esse, nullum est dubium; qvin magna carminum antiqvorum copia, & aliis, iisqve scriptis monumentis historicis usum *Saxonem*, per ipsius historiam ambigere non licet. Ut igitur aliqvod hujus rei argumentum adferam, meminit *Saxo Libro* VIIIvo, historiæ belli *Svetici* sive *Bravici* a *Starkathero* compositæ, memoriæ tamen magis qvam literis traditæ. Hanc vero nisi *Saxo*; non a *Starkathero* qvidem, sed juniore qvopiam scriptam habuisset, qvomodo tot circumstantias, locorum hominumqve nomina tanto post tempore dare potuisset, non video. Hæc enim omnia finxisse *Saxonem* non sine summa tanti viri injuria credi potest. Præter tempus igitur rerum edax, cujus injuria tot periere scripta majorum, & inter alia, *Sæmundi* & *Arii Multisci*

tiſcii, antiqviſſimorum Septentrionis hiſtoricorum pleriqve labores, male ſedulas *Cleri Pontificii* artes monumentis Danicis & Norvegicis interitus cauſas fuiſſe reor, qvibus qvoqve Scriptorum Sveticorum imputat inopiam ſagax & luculentus hiſtoriæ patriæ auctor *Lagerbringius Hiſt. Regn. Svec.* P. II. c. 20. §. 7.

(3) In condendo regum catalogo, & vetuſtiorum temporum notatione adeo ceſpitaſſe *Saxonem*, ut nepotes interdum avis præpoſuerit, & extera domeſticis, hujus illiusve provinciæ principes regibus ſumma tenentibus admiſcuerit, æqvis & peritis rerum cenſoribus mirum videri non debet. Si enim ipſe *Torfæus*, in emendando *Saxone* tam foelix & laborioſus, qviqve in *Ser. Reg. Dan.* hiſtoriam Borealem, errantem antea, & *Ortygiæ* inſtar oras & littora circum fluitantem, immotam coli dedit, & certis temporum articulis revinxit, ſi tantus, inqvam, temporis antiqvi ſcrutator, Illuſtri *Schönningio* in *Præfat. Hiſt. Norveg.* nec injuria videtur, *non tam Hiſtoriam Norvegicam ſcripſiſſe, qvam ea, unde concinnari poſſit congeſſiſſe, aliis vero reliqviſſe eventus & geſta ad ſua tempora referre*; qvis miretur *Saxonem* in antiqviſſima

qviſſima hiſtoria tempora confudiſſe, ubi præter priſca vatum carmina, non magis invicem cohærentia, qvam turbata ventis *Cumææ Sibyllæ* folia, præterqve laceras forte & admorſas hiſtoriæ maxime particularis lacinias, qvas ſeqveretur, duces non habuit. Chronologia enim pleraqve antiqvior, & qvæ ab ethnicis temporibus eſt, omnis caret hiſtoria Septentrionalis.

§. 18.

Antiqva porro carmina, qvibus ceu fundamentis nititur hiſtoria vetuſtior, qvatenus nobis etiamnunc reliqva ſunt, ad qvatuor poſſunt claſſes referri. Sunt enim vel *Eddica*, qvæ ſi unum alterumve exceperis, pervetuſta ſunt, ſed qvorum auctores varii, nec in una forſitan terra qværendi, imo incerti; qvæ enim præ ſe ferunt, nomina, magis *de qvibus*, qvam *qvorum ſint*, teſtari videntur. Vel *Danica*, qvorum reliqvias ſed romano metro & ſermone donatas, *Saxo* conſervavit (¹). Vel *Norvegica*, qvibus res Norvegicas Norvegi, ut *Thiodolfus Hvinenſis*, & *Evindus Skaldaſpiller*, par nobile vatum cecinêre; horum, ſi a lauda-

tis

tis duumviris diſceſſeris, poëmatum, non ita qvidem multa, qvædam tamen apud *Snorronem* & alios fragmenta ſuperſunt. Vel *Islandica*, qvorum magna de propriis, de peregrinis rebus maxima copia, & per omnes hiſtorias boreales disjecta membra leguntur (²).

(1) Qvanta Danicorum carminum farrago ſcribenti *Saxoni* præſto fuerit, priores octo ejus hiſtoriæ libros vel inſpiciendo doceberis. Noli putare *Saxonem* hos verſus animi cauſa commentum fudiſſe, & variis auctoribus affinxiſſe; qvaſi vero tunc in reliqva operis parte exaruerit vena viri poëtica. Indigna *Saxonis* meritis & fide hæc eſt ſuſpicio. Notus prætera aliunde *Starcatherus* poëta; ſuperſunt *Biarconis* carmina Saxonianis verſibus congrua; qvin etiam ipſa narrationis fila attento peritoqve lectori internitebunt priſci coloris gnomæ poëticæ & hemiſtichia, qvorum originem vel in latina lingva, vel in vernaculo, qvod *Saxonis* tempore in Dania viguit, idiomate, fruſtra qvæſiveris. Dolendum ſane hæc antiqvitatis monumenta intercidiſſe, non qvod ea *Saxo* non elegantiſſime dederit, ſed qvia lingva

lingva & hiſtoria patriæ, vel ut aqvæ ex ipſo fonte purius bibuntur.

(2) Seculo poſt N. Ch. nono, qvo tempore poëſeos borealis honos & ſtudium maxime caluit, qvippe vel Regibus ipſis & principibus foeminis excultum, qvod *Pulchricomi* & *Hildæ Raugnvaldi Mærenſium Comitis* uxoris, & *Rolfi Peditis* matris exempla docent, vid. *Heimskr.* Vit. *Har. Pulchric.* c. 24. 26, & aliunde, & maxime ex Norvegia, tyrannidis Haraldianæ inſveti & impatientes, cumprimis qvi claris orti natalibus, vel ipſi ante potentes, arva linqvere patria, qvam in patria avita libertate carere maluerunt, &, ut alio dilapſi, ita plurimi in Islandiam penates transtulerunt, eoqve leges, religionem, mores, lingvam & ingenium poëticum ſecum avexerunt. In hoc igitur Septentrionis angulo, aliunde paulatim extorris lingva & muſa borealis non ſolum diutiſſime remanſit, ſed viguit adeo floruitqve, ut plus trecentis ab habitata inſula annis, ſingulis Regum Principumqve Septentrionalium aulis poëtas Islandia miſerit. Horum *Skaldorum*, qvorum maxima pars Islandi fuerunt, Catalogum *Literaturæ*

raturæ fuæ *Runicæ* fubtexuit vir immortalis *Olaus Wormius.* Unde liqvet manfiffe poëfeos honorem & pretium, qvamdiu aliqvalis lingvæ antiqvæ ufus & notitia fuperfuit, alente artem Principum gratia & munificentia, qva divites & beati ad fuos plerumqve *Skaldi* rediere. Nobiliffimæ hujus artis defvetudinem in eleganti carmine hexametro *Aldarháttr*, qvo *mores feculi* exagitat, civibus exprobrat, exempla majorum objiciens fupra laudatus *Hallgrimus Petri filius*: Glæ foktu hranna til rikra kongs ranna; i. e. *A regum inde potentium aulis aurum & divitias arceffiverunt*; qvo non folum fortitudinis & fidei, fed carminum qvoqve præmia indigitare videtur.

§. 19.

Seculo poft Ch. N. undecimo in Islandia *Sæmundus* & *Arius* uterqve *Multifcius* dictus; feculo vero duodecimo, centum circiter poft annis, in Dania *Saxo-Grammaticus* & *Sveno Aggonis*; in Norvegia *Theodori-*

doricus Monachus; & in Islandia *Snorro Sturlæsonius* (1), res boreales literis mandare coeperunt; Qvos alii deinceps magno numero & conamine secuti sunt. Triplex igitur septentrionalis historiæ ætas observari potest; *Prima* nempe ad *Odini* tempora descendit, qvæ *obscura*; *Secunda* ab *Odino* ad introductam in regna borealia religionem Christianam, qvæ *poëtica*; *Tertia* a Septentrione ad *Christum* converso ad nostra usqve tempora, qvæ *literata* dici meretur (2).

(1) Magnanima, nec unqvam satis prædicanda *Clementissimi* PRINCIPIS HÆREDIS, summi & præcelsi, ut omnium, ita arctoarum literarum Euergetæ liberalitate, fœlicissimis auspiciis, & magno cum eruditorum applausu prodit nunc celeberrimum *Snorronis* opus historicum, qvod *Heimskringla* vocari svevit.

(2) Disting-

(2) Diſtingvi ſolent tempora in *obſcurum*, *fabuloſum* & *hiſtoricum*; qvæ diviſio cum noſtra nullo negotio componitur ita, ut *primæ* noſtræ ætati partim *obſcurum*, partim *fabuloſum*; *ſecundæ* partim *fabuloſum*, partim *hiſtoricum*; *tertiæ* vero *hiſtoricum* tempus reſpondeat. In *Sæmundanarum* Odarum caligine, & alibi, nonnulla forte reperiuntur hiſtoriæ *Odino* anterioris veſtigia, ſed fabulis adeo involuta, ut verum a falſo dignoſcere, res ſit ſucceſſus pæne deſperati. Cum commentis qvoqve & tenebris luctatur *Odini* ipſius ætas, *Odinoqve* proxima aliqvot ſecula; ſed veritate ſenſim magis magisqve interlucente, *Gormonis Grandævi* in Dania, & *Haraldi Pulchricomi* in Norvegia temporibus, nebulis tandem fere discuſſis, certa jam & clarior emerſit hiſtoria. Nec Chriſtiana religione inferiora tempora næniis papiſticis prorſus carent, qvarum refertæ *Canutorum* in Dania *Martyrum*, & *Olaforum* in Norvegia hiſtoriæ; ſed harum adſvetis & peritioribus hiſtoricis ejusmodi qvisqviliæ fucum facere neqveunt. Pro temporum

porum ratione reliqvis aliqvanto lucidior videtur antiqviſſima Sveciæ hiſtoria, qvod *Yngſingorum* proſapiæ in Norvegia cum *Pulchricomo* caput extollenti, diuqve deinceps dominatrici debetur; in hujus enim familiæ regiæ gratiam Norvegi & Islandi hanc hiſtoriæ Svecanæ partem carminibus & ſcriptis illuſtrarunt.

